

HELIGASTVS SICAMBRORVM SACERDOS.



Heligastus à teneris annis Musarum alumnus
existens, omnis generis artes didicit, atq; a-
pud suam gentem Sicambros in magna existimati-
one fuit, idq; eo tempore cum Basanus regem a-
geret, anno creationis mundi 3690. Itaq; uates & sa-
cerdos à suis electus religionem procurauit, atque
magicis suis artibus res mirabiles peregit. Cum au-
tem uideret Sicambros & uicinos Saxones natura
religioni esse deditissimos, ijs nouas colendi deos
leges prescripsit, atq; omnes ad superstitiones, pro
eius temporis consuetudine, pellexit. Hinc factum
ut magna omnes eum ueneratione prosequeren-
tur. Trit. Funckius.